

7/6  
360  
40  
38  
Aug. 27. Aug. AA

Nob. et amplissime domine,  
Bonum equidem factum. quae mihi destinatas poemata tua, eadem  
rectissime et ad nutum curavit tuus Bruno. Adeo vero Momenta  
illa placuere, imò tanti fuerunt momenti, ut quamvis occupatissimo  
integras horas abstulerint. Et ecce dum avidissimam lectione fragran-  
tiam carminum tuorum persequor, veluti lymphatus in hos, sed  
plenos raris et infictiarum, versiculos erumpo:

Barbariem Batavis quid enim lascive poeta  
Improperas, ubi tot copia docta virum?

Alterd laus Roma divisa est altera Graeis,  
Hugonides unus paginam utramque facit.  
Ingemit, exultat, pungit, docet, ac meditatúr,  
Proteus non Proteus, fertilitate pari.

Heroes, elegos, arguta epigrammata testor,  
Ingenio hic genius idre perennis erit.

At hic desino, ne te Roscium nostrum provocare videar, et merito à  
quoquam occinatur, impar congressus Achilli. Pro singulari autem in  
me affectu, quem perpetuum esse cupio, gratias, ut par est, non minus  
habeo, quam tua illa non desultoria, si verum audire vis, sed sibi  
constans doctrina laudem meretur cumulatissimam. De antidoro  
porro chartaceo iam nunc cogito, quod tuam praevenisset libera-  
tatem, nisi more suo typographarum tarditas editionem Commen-  
tationum mearum ad consuetudines patrias sufflaminaret. Brevi  
tamen enixuros bona spes est, quod studium parturiunt. Bene vale  
vir nobilissime. Noviomagi prid. Eid. Aug. cl. h. c. XLIII.

Ampliss. dignitati tuae

addictissimus

Lamb. Goris














Nobilissimo et amplissimo domino,  
Constantino Huygenio, Equiti,  
Guiljelmii toparchae, principi  
Aurivaco à consiliis et secretis etc.

Hagae